

# EPISTULA LEONINA

## CLXI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEXAGESIMAM PRIMAM (161) !**

## ARGUMENTA

<b>QUOUSQUE TANDEM...?</b> .....	<b>03</b>
<b>Dicta Curionis Oratoris Splendidi</b> .....	<b>04-28</b>
<b>Cultura Salutatoria</b> .....	<b>29</b>
<b>Colloquium Migratorium</b> .....	<b>30</b>
<b>Echûs Voces (Hannes Demming)</b> .....	<b>31</b>

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam sexagesimam primam.

Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de quaestionibus Germaniae gravissimis, quas nuper in Conventu Legatorum Foederali tractavit septem oratiunculis invectivis splendidissimis orator verê admirabilis: Godefridus sive Irenotheus **CURIO** Berolinianus est vir stupendâ multiplicitate ingenii praeditus: qui est mathematicus et physicus atomicus et musicus ecclesiasticus necnon .... orator totius Conventûs Foederalis omnium optimus. **Dicta Curionis** mirabilia invêni inter cinematia illius portalis *youtube*. En aspice, cara Lectrix, care Lector, Curionem loquentem et audi eius verba originalia theodisca et lege eadem a Leone Latino in Latinum conversa...

Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 161 tolle et lege et laetare...!

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Martis, 10. m.Apr., a.2018**



**QUOUSQUE TANDEM  
ABUTÈRE, ANGELA,  
PATIENTIÀ NOSTRÀ?**

# Dicta Curionis



**ECCE DOCTOR GOTTFRIED CURIO** (\*1960)  
**VIR BONUS DICENDI PERITUS**

MATHEMATICUS ET PHYSICUS PARTICULARIS ET MUSICUS  
 ECCLESIASTICUS NECNON ORATOR ADMIRABILIS.

**Orationes splendidissimae quas habuit  
 Doctor Irenótheus (*Gottfried*) Curio  
 in Conventu Legatorum Foederali**

1. IMMIGRATIONE NON SOLVI PROBLEMA DEMOGRAPHICUM
2. DE PLENĀ CORPORIS MULIEBRIS VELATIONE PROHIBENDĀ
3. DE *Deniz Yüzel* DIURNARIO TURCO-GERMANO
4. DE IURE CIVITATIS DUPLICIS ABOLENDO
5. ANGELAM ESSE ACCUSANDAM
6. FAMILIAS PROFUGORUM NON ESSE RECONIUNGENDAS
7. IMMIGRATORES ILLEGALES NECNON EORUM IDEOLOGIA  
 ISLAMICA QUATENUS REI PUBLICAE NOCEANT

<https://www.youtube.com/watch?v=2xBCurD7Rds>

## 1. IMMIGRATIONE NON SOLVI PROBLEMA DEMOGRAPHICUM 22.11.2017

Legati valdê honorabiles,

sociales democratae rebus quoad legem immigratoriam propositis volunt lacunam operariorum qualificarum<sup>1</sup> claudere et admigrationem inordinatam gubernare. Idem autem ab utroque destinato aberrant. Immigration numerosâ vix compensatur deminutio demographica. Secundum Nationes Unidas (UN) Germania, ut haberet copiam constantem hominum ad quaestum faciendum aptorum, egeret primâ parte saeculi dimidiâ viginti quinque milionibus immigratorum, i.e. quotannis quingenis milibus. Tot operarii qualificati planê non praesto erunt. Itaque immigratione non solvitur problema demographicum. At si Germania inundatur operariis parum qualificatis necnon eorum familiae reconiunguntur<sup>2</sup>, neque mercatus operarum neque systema redituum<sup>3</sup> stabiliuntur, sed augentur disoccupatio et acceptio subventionum socialium, idque etiam magis fit digitali ratione operandi augescente. Magis consentaneum esset portionem natorum<sup>4</sup> augere, praestaret, ut nos postulamus, familias condendas curare pro eo, ut permutetur populus proprius! Id est: Miliardae euronum sunt erogandae pro familiis nostris neque pro alendis et integrandis<sup>5</sup> immigratoribus, qui primo non habent ius permanendi aut nunc non apti sunt ad operas faciendas. Sociales Democratae concedunt in Germaniâ non esse inopiam operariorum generalem, sed technicorum informationis (IT). Quisnam est, quin ad talem lacunam specialem explendam non primo cogitet de petitoribus minus qualificatis linguae indoctis ex Africâ interiore atque mundo muslimico oriundis? Gubernantibus autem in animo est migrationem usque nunc illegalem mutato nomine facere legalem. Cuiusmodi tota haec res paratur? Secundum proposita Socialium Democratarum

<sup>1</sup> **+qualificatus**, -a, -um *qualifiziert*. cfr Disquisitio Inauguralis Canonica De Capitulis Clausis Ecclesiarum...Moguntiae 1763 ...tunc in ordine poeffiônis fubfequens ufqje ad ultimum debità comparens, fi *qualificatus* fuerit obfervatâ femper fenii prârogativâ recipitur

<sup>2</sup> **+reconiungo**, -iünxī. cfr +reconiünctiō familiae *Familiennachzug*. cfr ital. *ricongiungimento familiare*.

<sup>3</sup> **systema redituum** *Rentensystem*.

<sup>4</sup> **portiō nātōrum** *Geburtenrate*.

<sup>5</sup> **integrō**, -äre *integrieren* et **integrātiō**, -ōnis f. *Integration*: Sunt haec quidem verba antiqua, sed sociologi, ut est eorum mos parum elegans parumque doctus, his verbis novum sensum eundemque subobscurum attribuerunt. Tamen timeo, ne hic usus verborum non possit evitari in contextu sociologico.

immigratione fovenda sunt commoda utriusque partis. Verisimile his verbis agitur unâ ex parte de commodis hominum pseudo-asylicorum, qui nunc instruantur novo titulo, et alterâ ex parte de commodis ideologorum Nationum Unitarum, qui massali migratione ubiquitariâ student dissolvere res publicas nationales per saecula adultas. Ad hoc destinatum assequendum nunc praescribitur annua quantitas immigratorum. Scilicet comprobemus operarios qualificados – e.g. per systema chartae caeruleae<sup>6</sup> – si quidem commodis Germaniae hoc est utile, in Germaniâ operari – sed haec idea pervertitur systemate punctorum a Socialibus Democratis proposito. Nam in eorum systemate agitur de aspectibus integrationis. E.g. is puncta accipit, qui habeat „aliquam relationem ad Germaniam“. Hoc aliis verbis expressum valet cognatos agnatosque iam adesse. Ergo istud systema fit programma familias societatum parallelarum<sup>7</sup> reconiungendi! Programma fraternitates<sup>8</sup> scelestas construendi, quod est omnino anti-integrativum! Quidnam socialistae volunt praeterea? „Testimonia peregrina facilius esse comprobanda“, „qualificationum comparabilitatem demum probandam esse postquam Germania est introita“. Et antea? Num puncta donabimus bonâ fide? Verumne? Itaque quoad migrationis moderationem quaerendum est: Quonam modo haec ratio se differret ab admigratione massali immoderatâ, quae nunc fit? Nunc immigrator dicit: „Syria!“ et „Asylum!“ – Novus autem advena invitatus dicit: „Testimonium speciale!“ „Eruditio!“ – Uterque autem immigrator sine ullo documento testimonioque iubetur terram ingredi et intra demum terram probatur. Unus – post longas causas iudiciales factas sive iustê sive iniustê – permanebit! Alter postquam per annum operam quaesivit (sive verê quaesivit sive non) – permanebit, permissio prorogatur. Si îdem operam suscipit faciendam – statim familia eius reconiungitur, advehuntur eius uxor liberique linguae prorsus imperiti, post tres iam annos sedem habent certam. Et socialistis in animo est ambo flumina migrationis unum iuxta alterum fluxura esse. At hōc modo problemata nostra non solventur, sed augebuntur! Immigrationi pseudoasylicorum etiam immoderatae nunc addatur etiam importatio operariorum, qui coniecturâ tantum pro qualificatis habentur – sine apto loco operandi praebito, sine victûs comparandi facultate – tales homines semper primo esse admittendos

---

<sup>6</sup> **charta caerulea** *blue card*.

<sup>7</sup> **societās parallēla** *Parallelgesellschaft*.

<sup>8</sup> **frāternitās**, -ātis f. *Clan*.

ut operarios “potentiales” – gaudebit solutor vectigalium<sup>9</sup> de talibus potentialibus casibus - procurationis socialis<sup>10</sup>! Si qui locus operandi praebetur – non iam probatur efficientiae causâ, num qui petitor alius praeferendus sit. Num Germani aut Unionis Europaeae alii incolae hunc locum occupare possint – non rēfert! – en propriorum hominum negligentiam, spiritûs communis absentiam incredibilem – nil respicitur, nil fovetur nisi migratio translocatoria<sup>11</sup> ab Nationibus Unitis praedisposita. Necnon manifestum est auctores istius figmenti id sibi gravissimum proposuisse, ut societas Germaniae immigratoria instruatur margine iuridicâ et – bene audiatur! – ut ius civile reformetur – id est ultima columna autonomiae germanicae. Nonne iam est periculum, ne innumeris hominibus peregrinis cuiuslibet originis non qualificatis civitate iureque suffragiorum donatis populus germanicus mox privetur autonomiâ suâ? Alternativa Germaniae cum curet commoda civium Germanorum, hōc in parlamento isti periculo imminente resistit animo firmissimo. Gratias vobis ago.



<sup>9</sup> solūtor vectīgālium *Steuerzahler.*

<sup>10</sup> cāsus prōcūrātiōnis sociālis *Versorgungsfall.*

<sup>11</sup> migrātiō \*trānslocātōria *Replacement-Migration.*

<https://www.youtube.com/watch?v=XaxxgJN5Xwk>

## 2. DE PLENĀ CORPORIS VELATIONE PROHIBENDĀ

22.02.2018

Domine Praeses valdê honorabilis, Legati valdê honorabiles,

Pars Politica Alternativa Germaniae (AfD) postulat, ut prohibeatur, ne qui homo in publico versetur toto corpore velato. Tutanda enim sunt mulieris muslimicae iura libertatis individualia, ne eadem a grege supprimatur atque in parallelâ societate muslimicâ intimidetur<sup>12</sup>, servanda sunt bona moralia nostrae societatis, quae non debeat permittere, ut facies hominis fiat invisibilis. Talis enim faciei exstinctio est symbolum autonomiae mulierum supprimendae necnon est ipsissima discriminatio sexûs specifica. Num umquam visus est – nisi agitur de facinoribus scelestis – vir in publico versans toto corpore velato? Immo istam negationem iurum hominis si pateremur, id ipsum esset lêgi nostrae fundamentali<sup>13</sup> adversarium. Nam dignitatem humanam respicientibus non licet hominem facere solam rem obiectam ideoque eius qualitatem subiecti eiusque personalitatem in dubium vocare. Si fieri non potest, ut inspicias alicuius hominis faciem, aufertur quaedam integralis pars humanitatis socialis, immo destruitur. Per exceptionem ne autonomiae quidem est sic violare dignitatem humanam. Itaque nobis non licet pati istam laciniam panni nigri, qua mulieribus facies abripiatur. Nota bene: Loci textuum ne agnoscantur, denigrantur. Num nunc patimur homines quoque denigrari? Quantopere mulier velatione totius corporis humilietur quasi nihil sit nisi res obiecta, apparet ex origine huius môris depravati sexisticâ<sup>14</sup>: Isto more velatur obiectum lubricitatis secundum verba quae sunt: Absentem facile obliviscimur!<sup>15</sup> Talis velatio corporis neque fuit neque est cultus religionis. Talis velationis affirmatores hîc et hodie demonstrant se recusare cultum civilem occidentalem et bona illuminismi<sup>16</sup> moralia. In Europâ ex millenniis alter sexus numquam est deformatus tantâ stigmatis notâ. Nunc autem ne quis nos moneat multiculturalismi<sup>17</sup>! *Burca* enim nequaquam est indicium liberalitatis

<sup>12</sup> *intimidō*, -āre: *einschüchtern*.

<sup>13</sup> *lĕx fundāmentālis* *Grundgesetz*.

<sup>14</sup> \**sexisticus*, -a, -um et \**sexismus*, -ī m: Hae verborum confictiones quamvis parum pulchrae videntur esse inevitabiles.

<sup>15</sup> *Absentem facile obliviscimur!* *Aus den Augen, aus dem Sinn!*

<sup>16</sup> \**illūminismus*, -ī m. *Aufklärung*.

<sup>17</sup> \**multiculturalismus*, -ī m. *Multikulti, Multikulturalismus*.



aut animi cosmopolitici<sup>18</sup>. Postulatio mulieris regendae nihil est nisi unum: misanthropia ad gregem spectans, merus sexuum phyletismus<sup>19</sup>! Num volumus, num licet nobis velationem mulierum publicam tamquam sententiae politicae annuntiationem permittere et publicè comprobare? Nonne nobis est officium protegere mulieris iura libertatis, etiam contra pressionem gregis sociale, quae oritur, si velationem plenariam patimur? Hodie tres sunt mulieres velatae, cras erunt multae, etiamsi effectu luctationis cultuum civilium voluntariae. Hôc modo efficitur multiplex insulatio sui ipsius<sup>20</sup>, integratio deletur antequam potest fieri. Num nos, Dominae Dominique, num nos volumus sexûs segregari in viis nostris, num volumus hominum dimidiam partem ambulare facie velatâ? Nequaquam, nam burca est quodammodo iuramentum manifestationis cultûs civilis islamici! Si pateremur faciei muliebris velationem, fataliter significarem rem publicam nostram iustam cedere islamistis radicalibus cultum civilem praedantibus. Secundum bona nostra fundamentalia homines inter se conveniunt liberi et aequales. Velatio plenaria est signum, quo aliquis significat se nolle participem fieri societatis nostrae apertè communicantis, recusare modum vivendi “infidelibus” proprium. *Nicab* est vexillum *salafistarum*, burca spiritum ducit lêgis islamicae. Hôc modo statueretur norma falsa. Sura 33 alcorani mulieribus commendat, ut vestimentis se velent, ne molestentur. Si autem cogitando inter se associantur velatio et honestas mulieris, conclusione contrariâ sequitur eam mulierem, quae se non vestiat more islamico, esse notoriam istam mulierculam „impudicam“ – quam viris muslimicis licet tractare ita ut tractatae sunt mulieres Colonienses!<sup>21</sup> Si propter falsam rationem politicam admigrandi mulieres nostrae mox opponentur majoritati virorum iuvenilium ex archaicis societatibus misogynis oriundorum, eritne necessarium, ut mulieres primo abstineant a gunnis brevibus gerendis, deinde capillos ricâ<sup>22</sup> velent, denique ambulent burcâ inclusae? Fientne loca timoris expertia etiam etiamque rariora, eritne cursitatio vespertina quodammodo examen,

<sup>18</sup> **animus \*cosmopoliticus** *Weltoffenheit*.

<sup>19</sup> **merus sexuum phylétismus!** *Geschlechterrassismus pur!*

<sup>20</sup> **insulatiô sui ipsius** *Selbstghettoisierung*.

<sup>21</sup> **ita ut tractatae sunt mulieres Colonienses!** *Mit allen Kölner Konsequenzen!* Curio his verbis alludit ad mulierum subigitationes constuprationesque massales, quae ab immigratoribus Boreo-Africanis Arabibusque muslimicis factae sunt Coloniâ Aggripinâ in urbe prope Ecclesiam Cathedralem, nocte Silvestri anni 2015. cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Sexuelle\\_%C3%9Cbergriffe\\_in\\_der\\_Silvesternacht\\_2015/16](https://de.wikipedia.org/wiki/Sexuelle_%C3%9Cbergriffe_in_der_Silvesternacht_2015/16) cfr etiam notio arabica quae est haec: [https://de.wikipedia.org/wiki/Taharrusch\\_dschama%27i](https://de.wikipedia.org/wiki/Taharrusch_dschama%27i)

<sup>22</sup> **rica**, -ae f. *Kopftuch*.

quo faciendo mulier praestet animum audacem? Istud ne fiat! Ipsi *muslimi* inter se consentiunt burcâ prohibitâ non tangi libertatem religionis exercendae. Secundum europaeam curiam iudicalem iurum humanorum prohibitio burcae publicê gerendae francogallica – sicut etiam in Belgio Austriâque – est „ratio legitima, quâ servantur condiciones convivendi, quae impediuntur burcâ; ea enim est saepimentum, quo mulier separetur ab hominibus circa se versantibus“. Num quis nunc dicat: „Nemo vult saepimentum struere“? Nos dicimus: „*Domine de Maizière, rescinde istud saepimentum!*“<sup>23</sup> Dominae Dominique, secundum institutum FORSA sexagenae partes centesimae populi affirmant plenariam velationem esse prohibendam. Honorabiles Legati Magnae Coalitionis futurae, demonstrate nobis vos nolle gubernare contra voluntatem sexagenarum partium centesimarum populi declaratam! Multas gratias!



<sup>23</sup> „*Domine de Maizière, rescinde istud saepimentum!*“ „*Mr. De Maizière, tear down this barrier!*“ His verbis Curio alludit ad verba illa Ronaldi Reagan Praesidentis Americanorum ante murum Berolinensem coram Michaele Gorbatschov dicta, quae fuerunt haec: „*Tear down this wall!*“ (d.12. m.Iun. a.1987).

<https://www.youtube.com/watch?v=G6XBRzCW0tQ>

### 3. DE *Deniz Yücel* / DIURNARIO TURCO-GERMANO

22.02.2018

Domine Praeses valdê honorabilis, honorabiles Legati,

Alternativa Germaniae comprobatur *Dominum Yücel* liberatum esse ex politicâ captivitate arbitrariâ, comprobatur studia gubernationis foederalis extraordinaria prosperê successisse. At eo magis dolemus, quod liberatio aliorum hominum iniustâ custodiâ inclusorum non tanto cum studio petita nondum facta est. Cum nulla causa sit allata, quâ Dominus Yücel aliis praelatus esset, quaerendum est, num hîc actum sit sine respectu personae. Studendum est, ne gubernatio hominibus videatur eo, quod illum virum ceteris perquam extraordinariê praetulerit, illius verba Germaniae adversaria bene nôta tacitê comprobare. Itaque nobis videtur oportere, ut gubernatio foederalis declaret se eadem verba Domini Yücel reprobare. Scilicet servetur libertas talia dicendi. Scilicet ne animadvertatur in illa verba, scilicet ne gubernatio foederalis de omni maledicto aliquid declaret. At: Si haec una persona tantopere effertur, narranda est fabula tota. Canticum laudativum, quod cantatur de Domino Yücel, sono suo non obruit dissonantiam verborum quae iste fecit. Ergo descendamus in paludem rerum reverâ factarum. Auctori – illi auctori, inquam, qui de interitu Germaniae lamentatur – *Thiloni Sarrazin* – Dominus Yücel exoptat mortem. Audite verba Yüceliana: „Utinam proxima apoplexia cerebralis opus suum efficacius perficiat in isto homuncione miserrimo!“<sup>24</sup> – loquitur de Sarrazin. Talia scripsit carus noster *Deniz* – quaero, undenam venerit ista familiaritas praenomine expressa – nos Germani et noster *Deniz* – quandonam factum est, ut cum isto viro medullitus coniungeremur? Istic vir, qui cum diurnariis sinistrae partis videatur venerandus, de Sarrazin fecit verba ista odio hominis plena – istius viri casus a *Dominâ Merkel* putatur esse urgentissimus! Dominus Yücel sentit „Germanorum interitum futurum esse mortem gentis pulcherrimam“<sup>25</sup>. Talis vir a *Domino Gabriel* dicitur esse „Germanus patriota“! Yücel laetatur de „morte Germanorum“. Gabriel autem verbis effert se ad illum liberandum „bis convenisse *Praesidem Erdogan*“. Yücel autem sentit: „Aliquid melius quam Germania

<sup>24</sup> orig.: „Möge der nächste Schlaganfall sein Werk gründlicher verrichten an dieser Menschenkarikatur!“

<sup>25</sup> orig.: „der baldige Abgang der Deutschen ist Völkersterben von seiner schönsten Seite“

invenitur ubique“<sup>26</sup>. Gabriel – dona immerita afferendi peritissimus – verbis effert se compluries collocutum esse cum *Domino Cavuzoglu* Turciae ministro rerum externarum. Yüzel autem optat, „ut Germania inter Francogalliam atque Poloniam divisa distribuatur aut mutetur in agrum raparum“<sup>27</sup>. Iste vir a Sigmaro Gabriel dicitur „pontifex“<sup>28</sup> – num Yücel pontem facit inter Francogalliam atque Poloniam? Yücel laetatur, quod opera illius *Harris*<sup>29</sup> et *Ilyae Ehrenburg*<sup>30</sup>, i.e. caedes massalis massalisque constupratio – tandem perficientur. *Heiko Maas* – qui ipse mente finxit notionem odii iuridicam – Yücelio liberato friggittavit verba haec: „En nuntium omnium qui sunt optimum“<sup>31</sup>. Simili gaudio inebriatus est chorus politicorum atque diurnariorum certae inclinationis politicae, quamquam iste praedicator odii demagogusque homines instigat in omnes Germanos, misanthropiâ gregariâ helluans<sup>32</sup> – vero atque mero phyletismo imbutus! Deinde autem eo quod dicitur saturarum auctoribus esse omnia permittenda – exaggeratio autem in hac re nihil est nisi cappa celatrix<sup>33</sup> veri odii – introducitur libertas dicendi duarum classium: uni classi civium conceditur haec libertas, alteri non. Si qui sinister anti-germanus gubernationi propinquus facit verbum aliquod odii plenum, id dicitur satiricum, si tale facit vulgaris Germanus patriota, id dicitur odium. Maas praecipit, quid sit satiricum, Gabriel, quis sit patriota. – salvi sitis in mundo factionis sedenarum centesimarum (16%)!

Ceterum Domino Yücel restat aliquantum spei: Si is vult interitum Germanorum accelerari, ipse, ut est duarum civitatum particeps, potest eorum numerum deminuere eo, quod civitatem suam, quam sibi exosa esse apparet, reddat irritam faciendam. Nonne sincerum se praestaret, si hoc faceret, quod iam pridem faciendum est? Quid praeterea? Diurnarii laudant gubernationem, Domina Merkel clam

<sup>26</sup> orig.: „Etwas besseres als Deutschland findet sich allemal“

<sup>27</sup> orig.: „dass Deutschland zwischen Frankreich und Polen aufgeteilt oder in einen Rübenacker verwandelt wird“

<sup>28</sup> orig.: „Brückenbauer“

<sup>29</sup> [https://de.wikipedia.org/wiki/Arthur\\_Harris](https://de.wikipedia.org/wiki/Arthur_Harris): **Sir Arthur Travers Harris, 1. Baronet** GCB OBE AFC, genannt **Bomber-Harris**, (\* 13. April 1892 in Cheltenham; † 5. April 1984 in Goring-on-Thames)


<sup>30</sup> [https://de.wikipedia.org/wiki/Ilja\\_Grigorjewitsch\\_Ehrenburg](https://de.wikipedia.org/wiki/Ilja_Grigorjewitsch_Ehrenburg) **Ilja Grigorjewitsch Ehrenburg** (gelegentlich auch als *Erenburg* transkribiert; russisch *Илья Григорьевич Эренбург*; \* 14. Januar (Julianischer Kalender)/26. Januar (Gregorianischer Kalender) 1891 in Kiew, Russisches Kaiserreich; † 31. August 1967 in Moskau, Sowjetunion) war ein russischer Schriftsteller und Journalist. cfr <http://www.preussische-allgemeine.de/mobil/einzelansicht/artikel/die-deutschen-sind-keine-menschen.html>

<sup>31</sup> orig.: „Beste Nachricht wo gibt“.

<sup>32</sup> orig.: „schwelgend in gruppenbezogener Menschenfeindlichkeit“

<sup>33</sup> cappa celatrix *Tarnkappe*.

invitat diurnarios iisque dicit, quid dicere debeant: Manus manum lavat!<sup>34</sup> Nescimus, quot pyrobolos<sup>35</sup> et currûs cataphractus<sup>36</sup> Turci mercaturi sint pro hâc obside praestantissimo, nescimus, quot Curdi hac de causâ morituri sint. Quaecumque ratione politici atque diurnarii nunc iubilant de hac liberatione obsidis sibi venerandi perquam mirabili. Populus autem non potest, quin sentiat politicos magnae coalitionis labores exanclare extraordinarios ad amicos eidem ideologiae deditos adiuvandos et instigatione anti-germanicâ nequaquam deterreri, immo admoneri ad studia legationis flagrantissima. In hac re voluntas gubernationis vera claresceret verbis Yücelianis publicê reprobandis. At si Dominum Yücel nunc consideramus Gabrielis commonentem, suspicamur – hoc licet verbum ultimum nobis animo confingamus – si iste artis satiricae veterator demoscopias novisset recentissimas, futurum fuisse, ut diceret „interitum factionis sociali-democraticae futurum esse mortem factionis pulcherrimam“<sup>37</sup>. Gratias vobis ago!



<sup>34</sup> orig. „Man sorgt füreinander!“

<sup>35</sup> **pyrobolus**, -i m. *Munition*.

<sup>36</sup> **currus cataphractus** *Panzer*.

<sup>37</sup> orig. „der baldige Abgang aber der SPD ist Parteiensterben von seiner schönsten Seite.“

<https://www.youtube.com/watch?v=AfM8CYnyUks>

#### 4. DE IURE CIVITATIS DUPLICIS ABOLENDO

02.02.2018

Domine Praeses valdê honorabilis,

Legati valdê honorabiles,

civitatis germanicae impertitio non est rei publicae germanicae munusculum, non est donum salutatorium filiis extraneorum dandum, nequaquam haec impertitio est instrumentum integrationis accelerandae – potius est res contraria. Quidnam ea est? Non licet civitatem impertire nisi is, qui vult fieri civis Germaniae, praestitit integrationem postulandam. Nisi is definitivê atque exclusivê profitetur se velle Germanum esse. Anno 2000 (bis millesimo) gubernatio russato-prasina<sup>38</sup> destruxit ius civitatis valens. Civitas enim donata est liberis, quorum locus natalis est Germania, illo tempore adhuc spatio limitato. Nam, si tardissimê, aetate 23 (viginti trium) annorum talibus hominibus diiudicandum fuit, utrum acciperent civitatem germanicam an civitatem parentum. Anno autem 2014 (bis millesimo quarto decimo) magna coalitio – sub cancellariâ suâ russato-prasinâ – hoc officium optionis abolevit nobisque donavit istum syngraphum duplicem<sup>39</sup> perpetuum. Alternativa Germaniae postulat, ut istud fiat irritum: Cives enim sunt suffragatores, et suffragatores possunt rem publicam et legem fundamentalem et democratiam funditus tollere. Itaque syngrapho duplici, qui eo degeneratus<sup>39</sup> est quod valet generaliter et in perpetuum, subvertuntur res publica atque democratia. Istud nolumus! Oportet ne quis complures civitates accumulet nisi per exceptionem et argumentis allatis. Nonne nos in Germaniâ non comprobamus binas vel trinas vel quaternas uxores – an tamen comprobamus? Et integratio – si quidem est commendabilis, non solâ permissione tutelae temporariâ, si quidem optatur, ut integratio verê contingat – oportet ut civis civitatis peregrinae, qui admigravit, hîc adveniens velit se integrum dedere terrae, in quâ invenire velit novam patriam. At hoc vix continget, si in

<sup>38</sup> **russāto-prāsinus**, -a, -um *rot-grün* (sensu politico).

<sup>39</sup> **syngraphus duplex** *Doppelpass*.

<sup>39</sup> **dēgenerātus**, -a, -um orig. *entartet*. De usu huius verbi Antonius Hofreiter prasinus et crassulus et \*thelóbonus (*Gutmensch*) vehementissimê indignatus est (inter orationem Curionis reclamavit capite ruberrimo), quia eodem adiectivo iam usi erant socialistae nationales ad artificia denominanda sibi displicentia. Sed hoc verbum iam diu ante socialismum nationalem in usu fuerat).

sacculo habet tesseram reditûs mentalem<sup>40</sup>, i.e. syngraphum civitatis alterius. Nisi officio obligatur diiudicandi, utrius civitatis sit particeps, eidem homini omnino nulla causa est se integrandi – qui quodammodo libenter vivit in bullâ integritatis alienae<sup>41</sup>, in quodam genere patriae transplantato, ut peregrinus, qui commodis tantum fruitur civitatis germanicae. Istud nulla vult res publica, istud non interest Germaniae, istud recusamus!

At quidnam causae alicui extraneo est, ut se integret, si ei commendatur aliquid aliud – exempli gratiâ a quadam muliere, cui mandatum est, ut curaret extraneos integrandos – quamquam ipsa est praestantissimum exemplum integrationis, quae ad irritum cecidit – et si ista declarat se in Germaniâ nullum potuisse agnoscere cultum civilem germanicum, in quem aliquis deberet se integrare? Pro eo, ut advenae se integrarent, de convictu civium iam diutius hîc viventium et eorum, qui nuper demum advenissent, cottidie esse denuo agendum. O praeclaram, Dominae Dominique, ovium custodem lupam!<sup>42</sup> Utrinam terrae cives duplicis civitatis sunt verê fideles? Nemo potest simul servire duobus dominis. Num liceat ei, qui fovet dictaturam Erdoganianam, vim habere ad Germaniae rationem politicam mutandam? Num volumus alienos vim habere ad lêges ferendas? Ut portam aperiant normis vivendi introducendis, quae nostris legibus moribusque sunt contrariae? Novimus portionem natorum. Haud difficile est animo confingere, quidnam in hac re nobis immineat. Volumusne Anatoliam minorem (i.e. Neocoloniam Berolinensem), volumusne Syriam, volumusne Africam interiorem mox directê vim habere ad rem publicam germanicam dirigendam?

At officio optionis restituto si vis politica – i.e. ius suffragii – primo esset eo adipiscenda, quod civitas allata renuntiaretur, haec problemata essent minora. Zonaе cultûs civilis alieni, ratio politica ab alienis determinata, controversiae intra societatem agendaе – istaec omnia nocent Germaniae. Nos volumus Germaniae autonomiam et pacem domesticam servari. Recordemur id cuius *Erdoganus* Turcos Germanienses admonuit, quos „suos“ vocavit, in Germaniâ ne se assimilarent, et id quod illis suasit: „Nolite operam dare trinis tantum

<sup>40</sup> tessera reditûs mentalis orig. „ein geistiger Rückfahrtschein“

<sup>41</sup> in bullâ integritâtis aliēnae orig. „in einer Blase fremdstaatlicher Integrität“

<sup>42</sup> O praeclāram, Dominae Dominīque, ovium custōdem lupam! „Das, meine Damen und Herren, das nennt man den Bock zum Gärtner machen!“

liberis, sed quinīs, nam vos estis gens Europae futura!“<sup>43</sup> - nonne his verbis apertê eloquitur ideologiam terrae praedandae<sup>44</sup>? Necnon recordemur eum illos monuisse, ne eligerent quasdam factiones germanicas. Si quod argumentum testimoniumve defuisset ad demonstrandum, quam periculosus nobis sit syngraphus duplex – en illud monitum Erdoganī.

Etiam Christiani Democratae, etiam Christiani Democratae, cari collegae, nuper voluerunt recuperare officium optionis – et – nigrati patiuntur cancellariam suam russato-prasinam talem rem in conventu factionis statutam obiter facere irritam – quasi numquam esset statuta !

In hac re non oportet sodales factionis christianae nihil facere nisi salutare cancellariam suam more militum oboedientium, sed oportet eosdem fovere Germaniam. Collegae honorabiles, curate ut semel saltim in imâ identitate vestrâ factionis nigratae inveniatis conscientiam vestram venetam, profiteamini rem in conventu factionis vestrae statutam, nolite sequi Dominam Merkel, sed agite pro Germaniâ et petitioni nostrae assentimini!



<sup>43</sup> „Nōlite operam dare trīnīs tantum liberīs, sed quinīs, nam vōs estis gēns Eurōpae futūra!“ - „Macht nicht 3 Kinder, sondern 5 Kinder, denn ihr seid die Zukunft Europas!“

<sup>44</sup> **ideologia terrae praedandae orig.** „die Ideologie einer feindlichen Übernahme“



[https://www.youtube.com/watch?v=R06\\_dND2kIQ](https://www.youtube.com/watch?v=R06_dND2kIQ)

## 5. ANGELAM ESSE ACCUSANDAM

16.03.2018

Domine Praeses valde honorabilis! Legati honorabiles!

Alternativa Germaniae petit, ut impediatur, ne quis illicitê limitem transgrediatur et ut talis transgressionis petitores repellantur. Qui suffragium tulerit ad hanc petitionem reprobendam, vult advenis permissionis expertibus etiam postea permitti, ut limitem Germaniae transgrediantur et causam tutelae iuridicam incoherent subventionem continuâ querelisque complurium annorum inclusis.

Iudices summarum aularum forensium verbis efferunt nemini ad causas tutandi provocanti licere per terras iter facere in Germaniam.

Recusandum est, ne quis tali causâ allatâ e tertiâ re publicâ tutâ iter faciat in Germaniam – quales sunt omnes res publicae, quae sitae sunt iuxta Germaniam. Hoc valet etiam, si pertractatio causae asyli petendi spectat ad aliam rem publicam. Quae est secundum conventum Eblanense III<sup>45</sup> ea res publica Unionis Europaeae, quam advena ingressus est primam. At reverâ, cum habeamus migrationem intra-europaeam, protegendus est nobis limes noster nationalis.

Pro eo, ut expleamus hoc officium neglectum, ornamus nostros mercatûs natalicios<sup>46</sup> obicibus calcestri<sup>47</sup> necnon hoplopolybolis<sup>48</sup>.

Ut animos civium avertant a re gravissimâ, gubernantes libenter lamentantur de sceleribus subintroductorum<sup>49</sup>. At si subintroductor hominum est sceleratus, sceleratus etiam est eius mandator. Qui alicui mandat, ut se subintroducat, îdem quoque vult fraudare. Totum istud *imperium iniuriae*<sup>50</sup>, Domine Minister Rerum Internarum, oportet tandem finiatur. At nihilominus tu ipse modo curasti, ut istius imperii auctrix denuo inthronizaretur.

<sup>45</sup> **conventum Eblanense III** *Dublin-Abkommen III*

<sup>46</sup> **mercātus nātālicius** *Weihnachtsmarkt.*

<sup>47</sup> **obiex +calcestrī** *Betonpoller.*

<sup>48</sup> **\*hoplopolybolon**, -i n. *Maschinenpistole.* cfr ngr. όπλοπολυβόλον

<sup>49</sup> **\*subintrōductor (hominum)** *Schleuser.*

<sup>50</sup> **imperium iniūriae** orig. „die Herrschaft des Unrechts“ (*Seehofer*)

Reverâ causa fugiendi in ipsâ patriâ valens non est tessera terras intrandi ubiquitaria<sup>51</sup>. E transitoriâ re publicâ tutâ, qualis est Turcia, non fugitur in Europam, etiam non fugitur ex totâ terrâ continenti, qualis est Africa. Itaque non est humanitatis et misericordiae recipere asyli petitores, qui in patriam itinera voluptaria faciunt ad familias suas visitandas.

Tantis sumptibus, quanti hîc sunt necessarii, curari atque adiuvari potest numerus multo maior egenorum in ipsis patriis versantium. Homines verê egeni verêque pauperes non faciunt itinera. Haec hactenus dicatur hominibus more hypocritarum ad litteram c – i.e. ad caritatem christianam - provocantibus.

Ii, qui postulant limites apertos, id student, ut populum proprium permutent admigratione cuiuslibet originis ideoque effectum habeant ad cives ius suffragii habentes. Consilia homines ex Africâ in Europam translocandi, quae ceperunt Nationes Unitae (UN), programmati factionis christiano-democraticae inscripsit *Domina Merkel, cancellaria extraneorum*.

Ut ista consilia Nationum Unitarum ad effectum adducat, gubernatio patitur fraudem identitatis massalem, quae fit syngraphis abiciendis sive falsandis. Necnon eadem consulto utitur notione falsâ hominis profugi loco notionis, quae est immigrator socialis. Reverâ autem nemo potest iter facere per complures terras qualitate profugi praeditus. Hanc qualitatem nemo habet nisi ex terrâ, unde fugit, transgrediens. Tali notionum usu falso gubernatio fucat impossibilitatem istius gentium translocationis, qua quotannis plus quingenas miliardas euronum erogat sub praetextu integrationis hominum, qui ad quaestum comparandum sunt prorsus inepti. Istâ re furtum fit populo germano. Istâ re destruitur patria nostra.

*Culturae autem salutariae* praedicatores Germani ab *Henrico Augusto Winkler* dicuntur esse narcistae sibi adulantes seque ipsos deificantes eo quod credant se esse homines aliis meliores<sup>52</sup>. Tales narcistae alios sententiam contrariam dicentes quodammodo student

<sup>51</sup> **Reverâ causa fugiendi in ipsâ patriâ valens non est tessera terras intrandi ubiquitaria** „Fluchtgründe im Heimatland sind eben keine Eintrittskarte weltweit“.

<sup>52</sup> **esse narcistae sibi adulantes seque ipsos deificantes eo quod credant se esse homines aliis meliores** „eine Selbstgefälligkeit deutscher Narzissten, die sich als Bessermenschen selbst vergötzen“.

suffocare clavâ phyletismi<sup>53</sup>. Nos autem egemus culturâ multipliciter sententiarum democraticam salutandi, praesertim hac in domo Conventûs Legatorum Foederalis.

Quosnam istaec omnia habent effectûs ad terram nostram? Municipia clauduntur nimium occupata atque onerata. Integratio in irritum cecidit propter ipsam iam multitudinem advenarum nimiam. At eadem non exoptatur ab ipsis immigratoribus, qui vivere velint secundum cultum civilem suum proprium – secundum normas lēgis islamicae, quae nostrae est adversaria. Immigratorum bulla culturalis<sup>54</sup> quo magis crescit, eo magis iidem commoventur, ut immaneant suo modo vivendi suisque moribus et consuetudinibus. Furor virilitatis aggressivus<sup>55</sup> iam colitur in classibus scholaribus, tribûs urbanae a civibus germanis sunt desertae, fiunt constuprationes, homicidia – at gubernatio nostra pro remediis durissimis habet cursûs disciplinae ethicae institutorios.

Ista gubernatio sine ullâ necessitate ingentes massas arcessivit iuvenum, qui dediti sunt archaicis moribus violentis atque misogynis. Sanê vero, gubernatio etiam operarios allexit specialis artis peritos: sicarios enim pugnae pugionum peritos. Talibus viris expellendis, Dominae Dominique, etiam vitae hominum servantur!

Viri extranei, ad quos adiuvandos Domina Merkel statim parata erat, urgent Germanos egenos in mensis alimentariis<sup>56</sup> – in hac terrâ nostrâ, in quâ a cancellariâ dicimur vivere bene atque libenter<sup>57</sup>. Senator quidam Berolini internus, socialis democrates dicit: „hostilitas contra Germanos haud est rara“ – in terrâ, in quâ nos vivimus bene atque libenter. Actor quidem publicus dicit: „Res publica iuris se ipsam deseruit“. Director quidam scholae dicit: „Nos redimus in aevum medium“. – Mulieres subigitatae<sup>58</sup> audiunt verba ista: „Nisi hoc vis, debes gerere ricam!“ – haec omnia fiunt in terrâ, in quâ vivitur bene atque libenter – ab homine extraneo.

<sup>53</sup> **clāvā \*phylētismī** „Rassismuskeule“.

<sup>54</sup> **bullā culturālis** „kulturelle Blase“

<sup>55</sup> **furor virilitātis aggressivus** „aggressive Machokultur“.

<sup>56</sup> **mēnsae alimentāriae** „Tafeln“, angl. food bank; fr. banque alimentaire; hisp. banco de alimentos.

cfr <https://www.youtube.com/watch?v=NF3OOR4-8ms> - <https://www.youtube.com/watch?v=lg4oTeZ14Pc>

<sup>57</sup> **terra nostra, in quâ vīvimus bene atque libenter** – „*unser Land, in dem wir gut und gerne leben*“ verba, quibus in certamine suffragiorum pars politica cancellariae (CDU) se civibus commendavit eligendam.

<sup>58</sup> **mulierēs subigitatae** „*angegrapschte Frauen*“.

Nonne paulatim istaec omnia sufficiunt? Non sufficit gubernationi nostrae, quae sic agere pergit perseveranter. Quae non vult immigrationem impugnare, quae nihil vult nisi eam gubernare. Quae iam culpam contraxit pacis domesticae amissae. Num ista „damnum avertit a populo germanico?“ Num oportet talem hominem insidère subsellio gubernatorum?

Nos dicimus: Potius subsellio accusandorum<sup>59</sup>.



---

<sup>59</sup> **Num oportet talem hominem insidère subsellio gubernatorum? Nos dicimus: Potius subsellio accusandorum!** „Gehört so jemand auf die Regierungsbank? Wir sagen: Doch wohl eher auf die Anklagebank!“.

<https://www.youtube.com/watch?v=bJp8GQhUjOg>

## **6. FAMILIAS PROFUGORUM NON ESSE RECONIUNGENDAS** **20.03.2018**

Domine Praeses valdê honorabilis, Legati valdê honorabiles,

Alternativa Germaniae petit, ut tollatur ius familiae reconiungendae eorum migratorum, quibus subsidiaria tantum tutela permittitur, quia habentur pro profugis belli civilis. Eo restituitur status, qui per multos annos comprobatus erat ante reconiunctionem introductam. Iam in usitato, non subsidiario statu asyli vel tutelae innumeri migratores possunt postulare familiae reconiunctionem. Minister rerum internarum reconiunctionis deminutionem dixit esse “necessariam, ne systemata recipiendi nimium onerarentur“. Demoscopi nuntiant plerosque cives reprobare reconiunctionem familiarum additiciam. Alternativa Germaniae loquitur pro hac civium maioriata.

Quod attinet ad securitatem uxorum et liberorum a maritis atque patribus relictorum, vix credibile est aliquem in tempus non definitum relinquere familiam suam in terrâ versantem, in quâ totâ putatur bellum geri ubique. Quacumque ratione illi iam sunt securi aut in zonis huius terrae pacatis aut pugnarum expertibus aut in castris protectoriis terrae alicuius propinquaе. Ergo iisdem non necessarium est iter pergere usque in Germaniam.

Etiam reconiunctio familiarum ibidem potest et debet fieri. Ne ullo modo liceat familias magnas pecuniâ collectâ unum praemittere antecursorem<sup>60</sup>, ut ceteri postea arcessantur. Curandum est, ut a Germaniâ minus attrahantur migratores oeconomici. In hac re ne Germani aliud iter faciant quam ceteri Europaei! Stimuli oeconomici ut evitentur! Oportet nos istum magnetem tandem occludere!

Non consentaneum est, ut pro reconiunctione familiarum argumentum repetatur a ratione integrandi politicâ. Nequaquam est ulla indigentia temporariê tantum receptos integrandi. Iustê iterum iterumque probatur, num adhuc valeat causa fugiendi. Scilicet causas fugiendi

---

<sup>60</sup> **antecursor**, -ōris m. “*Quartiermacher*”.

impugnandas esse. Itaque nos dicimus Merkeliam a munere esse removendam<sup>61</sup>.

Sed si in Syriâ circumstantiae mutabuntur, reditus est necessarius. Si integris familiis societati iniunctis redeundum esset, reditus esset multo difficilior, ne dicam impossibilis. An quidam homines hoc fortasse volunt efficere? Si familiae reconiunguntur, propter mulieres parvulosque advenientes etiam augentur problemata iam nunc non soluta paenuriae habitaculorum, nepiagogiorum totius diei<sup>62</sup>, scholarum, classium salutandi, onerumque germanis parvulis imponendorum – quae omnia etiam spectant ad cives proprios; at gubernatio mavult iisdem praeferre extraneos familias reconiuncturos. Hôc modo gravius fit familiam condere, si mercatus habitaculorum operarumque hominibus minus eruditis destinatus occupatur a Syrorum familiis magnis. Etiam pecunia providentiae sociali destinata semel tantum erogari potest. Pax interna perturbatur admigratione additiciâ huius modi, structuris fraternitatum archaicis – recordemur fraternitates Libanianorum sanê mirabiliter integratorum -, normis moribusque islamicis, qui sunt a cultu nostro civili necnon a legibus nostris alieni, immo periculis tromocratiae<sup>63</sup>, dissidiis socialibus, delictis violentis, furore virilitatis, odio aliorum gregum populi, antisemitismo multipliciter importato. Generaliter deminuuntur integrandi necessitas et promptitudo, si grex migratorum hîc versans etiam etiamque augetur. Ita fit, ut etiam foveantur societates paralellae in Germaniâ iam exstantes. Mox immigratoribus non iam erit necessarium discere linguam germanicam. Integratio non iam fiet necessaria. Istud nos recusamus! Istud oportet impediatur! In aulis scholarum germanicis oportet discipuli loquantur theodiscê – ne loquantur sermone arabico neve africano.

Semel si inspeximus compromissa unionis aut magnae coalitionis, scimus, quae nobis immineant. Etiam si si numerus recipiendorum redigitur ad 220 000 (ducenta viginti milia) hominum, hic numerus non servabitur limite custodiendo. Itaque nos tandem postulamus, ut fiat cultura ius civile salutandi. Neque limes umquam custodietur

---

<sup>61</sup> Scilicet causas fugiendi impugnandas esse. Itaque nos dicimus Merkeliam a munere esse removendam.

„Natürlich müssen Fluchtursachen bekämpft werden. Deshalb sagen wir ja: Merkel muss weg“.

<sup>62</sup> *nēpiagōgīum tōtīus diēi* Kita = Kindertagesstätte; cfr vox austriaca: Ganztagskindergarten.

<sup>63</sup> \**tromocratia*, -ae f. *Terrorismus*.

neque immigraturi repellentur. Gubernatio sincerior esset, si statim apertê diceret: Reconiunctio non fiet ante diem lunae post Bavariae suffragia comitorum provincialium<sup>64</sup>.

Parlamentum autem unionis Europaeae commendat per voces fractionum coalitionis magnae, ne immigratores iam recipiantur in terram, quam ingrediantur primam, sed in illam, in quâ habeant „conexiones“ – quo fiet, ut tollatur limes, quo summum milleni in mense receptum iri annuntiatum erat. Deinde Domina Merkel iterum dicit: „Nunc illi forte adsunt“ – *Dominus Schulz* dicit: „Si plures venient – quam 260000 (ducenta sexaginta milia) –, licet veniant plures“.

Haec si valebunt, omnes nostri Syri syngraphorum expertes satis facient contendentes se cum illis recipiendis aliquâ affinitate coniunctos esse his ferê verbis usos: “Ita est, ego quoque ex eius vico sum oriundus, ibidem inter nos omnes aliquatenus sumus affines”. Unio Europaea insuper vult etiam – loco solius familiae restrictae<sup>65</sup> – maiores aliquatenus inter se coniunctorum hominum greges habere pro unitatibus familiaricis. Dominae Dominique, si 1,5 miliones asylicorum, qui ex anno 2015 (bis millesimo quinto decimo) huc venerunt, fient personae ancorariae<sup>66</sup> novorum immigratorum, reverâ loquemur de dimensionibus homines translocandi prorsus aliis. Si ita fiet, manifestum erit, gubernantes quale consilium ceperint de hac terrâ, quomodo eam velint mutare. Nonnulli hîc dicunt se iam gaudere de his mutationibus. At Alternativa Germaniae dicit: “Oportet ut Germania etiam post duo aut tria decennia agnoscat esse Germania”.

Ut hoc fiat fidem nos damus neque alius dat praeter nos, et nos operam dabimus quam plurimam.



<sup>64</sup> **suffrāgia comitiōrum prōvinciālium** *Landtagswahlen.*

<sup>65</sup> **familia restricta** *Kernfamilie.*

<sup>66</sup> **persōna ancorāria** *Ankerperson.*

[https://www.youtube.com/watch?v=4\\_NQtQ\\_ei78](https://www.youtube.com/watch?v=4_NQtQ_ei78)

**7. IMMIGRATORES ILLEGALES NECNON EORUM IDEOLOGIA  
ISLAMICA QUATENUS REI PUBLICAE NOCEANT  
23.03.2018**

Domine Praeses valdê honorabilis, Legati honorabiles, Domine minister rerum internarum,

homines in Germaniâ sentiunt politicos ambulare falsos nummos secum gerentes<sup>67</sup>. Sunt magna mendacia, quibus haec terra diffinditur: notio hominis *profugi* falsa necnon islamicae religionis cum democratiâ compatibilitas putativa<sup>68</sup>. Tu<sup>69</sup> nunc iussus es – ut es minister annuntiandi longo usu probatus – suffragatores Alternativae pro tuâ factione recuperare eo quod aliquantulum copias imitarisve programma Alternativae. At non adis problema admigrationis massalis fundamentale. Lamentatus quidem es de „imperio iniuriae“ – at nunc cum eodem habes consortium. Lamentaris admigrationem massalem – at Christiani Sociales (CSU) tui semper fuerunt gubernationis participes. Postulas, ut limites accuratius custodiantur – at petitio, quâ Alternativa hoc vult assequi, modo demum a Christianis Democratis (CDU) est recusata! Non praecipuê egemus sedibus recipiendi centralibus<sup>70</sup>, sed debemus explicare, cuinam liceat limitem transgredi. Respondendum est: Nemini ad causas tutandi provocanti licet postulare, ut sibi permittatur transgressio limitis germanici neque ulli licet in Turciâ aut Libyâ degenti fugiendi causâ in Europam transgredi – nam tales homines iam sunt tuti! Etiam anno 2015 (bis millesimo quinto decimo) immigratores in Hungariâ tutâ versantes scilicet nequaquam passi sint subitae necessitatis humanae condicionem exceptionalem. In foedere autem coalitionis tantummodo legitur partem admigrationis moderabilem non fore maiorem quam ducenta milia – ergo quotannis tot homines immigrabunt quot incolas habent duae urbes magnae – quisnam istas aedificabit urbes tantas – in singulos annos? Dominus autem *Schulz* dicit „Si plures erunt, licet sint plures“. Ergo nihil valet iste limes supremus – illi nihil nisi fumum

<sup>67</sup> homines in Germaniâ sentiunt politicos ambulare falsos nummos secum gerentes *die Menschen in Deutschland spüren, dass die Politik mit falscher Münze unterwegs ist.*

<sup>68</sup> islamicae religionis cum democratiâ \*compatibilitas putativa *die vermeintliche Demokratieverträglichkeit des Islam.* \*compatibilitās+cum+abl.: cfr Adam Reuter, De consilio tractatus... Oxoniae 1626, p.168: „Quod oftenfum, ita vt hinc nulla ei cum affectu humano compatibilitas, cum et nulla eidem cum ratione“.

<sup>69</sup> Curio hîc alloquitur *Seehoferum* ministrum rerum internarum (adn. interpretis).

<sup>70</sup> sēdēs recipiendī centralēs *zentrale Aufnahmestellen.*



vendunt! Secundum „Conventum Eblanense IV<sup>71</sup>“ dicitur ad receptionem assequendam advenae nihil faciendum esse nisi contendat se esse aliquâ ratione cum aliquo homine in Germaniâ versante coniunctum. Quidnam est istud nisi programma familiae reconiungendae ad usum societatum parallelarum factum, necnon programma fraternitates scelestas condendi? At scilicet id maximê curandum esse, ut quam prosperrimê procedat migratio translocatoria a Nationibus Unitis (UN) postulata! Quisnam ex nobis quaesivit, num nos vellemus participes fieri „experimenti scientifici ratione historicâ singularis“ – quo „democratia monoethnica permutaretur in multiethnicam“ – ut nuper dixit *Yascha Mounk* sociologus?<sup>72</sup> Audite eius verba: „Hoc poterit feliciter succedere, ...., sed scilicet in hac re etiam accidant multae perturbationes“<sup>73</sup>. Sanê quidem: *Maria – Mia – Mireille* – puellae ritu ferino trucidatae<sup>74</sup> – suntne eadem nunc „perturbationes“ cuiusdam „experimenti scientifici“? – O quantam superbiam nefariam castae gubernantium!<sup>75</sup>

Heri atque nudiustertius Germania adhuc fuit terra definita determinataque – non regio limitis incerti, ubi quicumque vivat secundum suum systema iuris cultûsque civilis proprium. Qui islamum studeat reformare, ei imminet mors violenta. Liberalis islamus non fiet. Evidenter apparet *imamos* haud condemnare tromocratiam islamisticam! Alcoranus ipse dicit: „Occidite infideles, qui peiores sint bestiis! Si mulieres refragantur, mulcate eas! Nolite

<sup>71</sup> **Conventum Eblanense IV** *Dublin-Abkommen IV*.

<sup>72</sup> **experimenti scientifici ratione historicâ singularis** – quo „democratia monoethnica permutaretur in multiethnicam“ - „historisch einzigartiges Experiment“ - „eine „monoethnische Demokratie in eine multiethnische zu verwandeln“ cfr **Yascha Mounk**: <https://www.youtube.com/watch?v=eFLY0rcsBGQ> "Ein historisch einzigartiges Experiment" (Tagesthemen 20.02.2018). – cfr Hagen Grell: <https://www.youtube.com/watch?v=5cT00v3zkoI>

"Versuchskaninchen" Europa - Was denken Deutsche? – cfr Schrang: Das geheime Experiment an den Deutschen <https://www.youtube.com/watch?v=q23K22sMAN4>

<sup>73</sup> **Hoc poterit feliciter succedere, ...., sed scilicet in hac re etiam accidant multae perturbationes** – „Das kann klappen,...., aber da kommt es natürlich auch zu vielen **Verwerfungen**“. „Verwerfungen“ sensu proprio est geologorum terminus technicus: sic a geologis appellantur crustae terrenae discissiones, fracturae, dislocationes. Sociologi hac notione utuntur sensu translato; in contextu apparet *Mounkianorum* cynismus praegelidus, de quo Curio indignatur iusto meritoque.

<sup>74</sup> **Maria Ladenburger**: cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Mordfall\\_Maria\\_Ladenburger](https://de.wikipedia.org/wiki/Mordfall_Maria_Ladenburger). - **Mia Valentin**: <https://www.heise.de/tp/features/Verschleierter-Frauenmord-Das-unwerte-Leben-der-Mia-aus-Kandel-3928710.html?seite=all> - [https://de.wikipedia.org/wiki/Kriminalfall\\_in\\_Kandel\\_2017](https://de.wikipedia.org/wiki/Kriminalfall_in_Kandel_2017) - **Mireille**: Steffen Munter: Wieder Mädchen erstochen: Mireille (17) verblutet nach "Beziehungstat" in Flensburg - Junger Afghane festgenommen, Epoch Times am 15. März 2018.

<sup>75</sup> **O quantam superbiam nefariam castae gubernantium!** “Welch abscheulicher Hochmut einer Lenkungs-kaste!“ \*casta, -ae f. (socialis) *Kaste* [Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed. , p.303, s.v. Kaste]

amicitiam iungere cum Iudaeis Christianisque, nam *Allah* infideles exsecratus est iisdemque flammam paravit“. – Istud, *Domine Maas*, est odium! Ista quidem instigatio dicitur mox fieri disciplina in scholâ discenda! Isto modo fabricamus bombas horologiacas<sup>76</sup>. Discipuli democratiae contemptu imbuuntur, ut fiant attentatores futuri. Valet valebitque mandatum ipsius *Allah*, quo religio islami infidelibus violenter inculcanda est; nec aliter intellegitur a *muslimis*. Dodrans pars muslimorum europaeorum credit praecepta religionis esse maioris momenti quam lēges nostras! – *Marcus Söder* dicit: „Islamus est pars Bavariae“. Secundum Dominam Merkel islamus spectat ad Germaniam. – Num divisio mundi in fideles et infideles – spectat ad Germaniam? Num islamomachia<sup>77</sup> spectat ad Germaniam? Num polygamia? Num supplicium capitale ab apostatis subeundum? Num poenae corporales ab adulteris et alcoholicis potatoribus luendae? Num maritorum ius uxores castigandi? – („Mulcate istas!“) – num ista spectant ad Germaniam? Instigatio muslimorum in homines alius religionis (qui dicuntur esse „peiores quam bestiae“), mandatum missionis militare, excitationes ad homines necandos – haec omnia secundum alcoranum non sunt coniecturis interpretanda, sed verba Dei ipsius omni modo valentia – num ulla illarum rerum spectat ad Germaniam? Dodrans pars Germanorum non credit islamum spectare ad Germaniam, Alternativa loquitur pro his hominibus!

Islamus non potest disiungi a lēge islamicâ, quae vocatur *Scharia*. Declaratio iurum hominis muslimicorum Cairoensis dicit: „Vetitum est hominem vitâ privare – nisi hoc postulat *Scharia*“. – *Erdoganus* dicit: „Non est islamus et islamismus – unus tantum islamus exstat“ et verum est alcoranum, qui docetur in scholâ, et illum, qui distribuitur a *salafistis*, esse eundem librum. Islamus enim praecipuê non eâ de causâ non spectat ad Germaniam, quâ nos hîc celebramus sollemnitates christianas more traditas. Islamus non est fidei christianae contrarius, sed principio legalitatis, nam non est cum lēge fundamentali compatibilis!

Status securitatis est calamitosus. Expulsio delictorum potentialium<sup>78</sup> – non fit! Prohibitio salafismi – non fit! Facinora poenalia in

<sup>76</sup> **bomba hōrologíaca** *Zeitbombe*. cfr neogr. ώρολογιακή βόμβα.

<sup>77</sup> \***islamomáchia**, -ae f. *Dschihad*.

<sup>78</sup> **dēlictor potentialis** *Gefährder*.

Germanos facta, generalis hostilitas contra Germanos augentur, etiam contemptus ordinatorum, velut astyphylacum, iudicum, magistrorum – iterum iterumque fiunt impetûs sicariorum – Berolini septies in die! Ut tandem de sceleribus referatur sine fuco fallaciisque! „Hoc nil est nisi casus singularis, hoc facinus explicatur relatione personali“. Ita ne pergatur scelera gravissima verbis deminuere! Si quis a primis pueris misogyniâ imbutus est, inclinatus est in vim adhibendam. Interfector *Mariae* audite quid dixerit: „At ista nil fuit nisi muliercula“<sup>79</sup> – expulsione, Dominae Dominique, vita hominum servatur – sed eadem non fit! Dominus *Reul* autem christianus democrates minister rerum internarum Rhenano-Vestfaliae, sentit: „Oportebit cives fiant cautiore. Non est necessarium pati homines appropinquare“<sup>80</sup>. En ingentem istam socordiam officiique negligentiam! Nos autem praemonemus: Inter immigrantes sunt etiam pugione pugnantes!<sup>81</sup>

*Thilo Sarrazin* nos praemonuit his verbis: „Germania abolet se ipsam!“ – Domina Merkel dicit: „Nos hoc assequemur!“ Et: „Si nunc postulatur, ut nos excusemus (*pro auxilio hominibus dato*), haec terra non iam est mea“. – Nos autem dicimus: „Reverâ haec terra tibi non est! Licuit tibi eam administrare. Non licuit dicere: „Ego sum tam vehementer misericors, ego nunc pauperibus donabo possessionem firmæ.“ Haec possessio non est tua!

Volumusne Germaniam esse paradisum asyli fraudulenter petendi? An civitatem sociale nostris civibus destinata? – Volumusne Germaniam abundanter recipere admigrantes analphabeticos an confirmare civium prosperitatem?

Dedecet te primo Europam et Germaniam diffindere, sed deinde obsecrantem postulare concordiam. Si tu dicis: „Ex illegalibus faciamus legales, istis verbis, Dominae Dominique, omnia iura

<sup>79</sup> **At ista nil fuit nisi muliercula** „*Es war ja nur eine Frau*“. cfr <http://www.faz.net/aktuell/gesellschaft/kriminalitaet/prozess-gegen-hussein-k-es-war-doch-nur-eine-frau-15418674.html>

<sup>80</sup> **Oportebit cives fiant cautiore. Non est necessarium pati homines appropinquare.** „*Die Bürger werden sensibler sein müssen. Man muss nicht Menschen nahe an sich ranlassen*“.

<sup>81</sup> **Inter immigrantes sunt etiam pugione pugnantes!** „*Masseneinwanderung* heißt auch *Messereinwanderung!*“

omnesque lēges ludibrio habentur. Omnia illa facta sunt fundamento iniuriae firmata, hīc iterum iterumque iniuria confirmatur, sed oportet eandem facere irritam ! Cum non liceat exstare societatem parallelam, quin observet nostrae terrae lēges bonaque moralia, tum praecipuē non licet exstare talem societatem in subsellio gubernantium ! Gratias vobis ago.



**Ecce Yascha Mounk sociologus Havardiensis in emissione nuntiorum televisificā (“Tagesthemen”) d.20. m.Febr. a.2018 a moderatrice Caren Miosga interrogatus refert de experimento scientifico, quo “*democratia monoethnica permutaretur in multiethnicam*”. Idem vir incredibili arrogantīā praeditus frigido pectore blateravit de milionibus hominum, quasi essent ratti aut cuniculi experimentales. Quisnam umquam ex nobis quaesivit, num nos vellemus participes fieri „experimenti scientifici ratione historicā singularis?”**



# CULTURA SALUTATORIA



# COLLOQUIUM MIGRATORIUM



**OBAMA** (*parte sinistra*): Ego destruxi Libyam et Syriam, ut excitarem flumen migratorum.

**SOROS**: Ego subintroductores hominum et organisationes non-gubernationales dirigo pecuniâque instruo, quae migratores illegaliter subintroducunt in Europam!

**MERKEL**: Ego frango legem fundamentalem sinoque aliquot centum milia hominum incognito atque illegaliter transgredi limitem germanicum.

**ERDOGANUS**: Ego curo, ne umquam flumen migratorum deficiat idque eo fine, ut Europa ad islamum convertatur in sempiternum!

**DIABOLUS**: ...Ego autem ipse haec omnia haud melius perfecissem !

## **ECHUS VOCES**

CARE LEO LATINE, CVM HOC CHRONOGRAMMATE  
BREVI TIBI EXOPTO FELICIA FESTA. GRATIAS TIBI  
AGO PRO EPISTVLA LEONINA CLX, QVAM ACCEPI  
COMMODOVM. ADMIROR TVAM ASSIDVITATEM,  
SCIENTIAM, FESTIVITATEM. SALVTO TE MODO  
GVESTPHALICO, ID EST BREVI „GVED GAON!“

**Dies Paschales MMXVIII**

**REDEMPTOR**

**RESVRREXIT**

**TERTIA DIE**

**Hannes Demming**

Sat, 31 Mar 2018 22:23:49 +0200

**MORS SVPERBA**

**TE IPSAM**

**VORAVISTI**

**Hannes Demming fecit**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEXAGESIMAM PRIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Martis, 10. m.Apr. a.2018**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**